

Transmissa est *Major*; quia licet libertas *contrarietatis* non sit essentialis libertati ut sic essentialiter sumpta, tamen illa facultas flectendi se ad actus contrarios pertinet ad statum puri hominis viatoris lapsi, sed et reparati; ac proinde sicut facultas datur libera ad peccandum, sic etiam per gratiam adest facultas non tantum ad non peccandum, sed etiam ad oppositum actum rectum.

Inst. 5. Impotentia, quæ est *mere concomitans*, non vero antecedens, ac præterea *voluntaria*, non excusat a peccato: sed impotentia pœnitendi in obduratis est imprimis *mere concomitans*; quia non ideo omittunt pœnitentiam et peccant, quia non possunt pœnitentiam agere et non peccare; sed quia non volunt pœnitere, sed peccare, adeo ut si possent pœnitere, tamen nolent: quod constat inde, quia suæ impotentiae nescii libentissime peccant et non agunt pœnitentiam. Deinde est *voluntaria*, quia ad eorum peccatum vel originale vel actuale volitum consequitur, ut ex S. AUG. L. de corr. et gr. c. 6., L. 1. op. imperf. n. 105., L. 1. Retr. c. 15. n. 2. et PROSP. Carm. de Ingrat. c. 32. v. 648. et seqq. constat; ergo.

R. 1^o. *D. M.* Impotentia concomitans et voluntaria, quæ se tenet ex parte potentiae executivæ, non excusat a peccato *C.* quæ se tenet ex parte ipsius voluntatis *N.* Si enim ex parte potentiae executivæ stet impotentia, *mere concomitans* relinquit actui voluntatis rationem voluntarii ac liberi; *voluntaria* vero ac consequens supponit eundem actum omnino liberum ac voluntarium; adeoque formalem malitiam in actu voluntatis positam non impedit: si autem impotentia afficiat *ipsam voluntatem*, sive dicatur concomitans, sive antecederet voluta, actum primum voluntatis non relinquit indifferentem et ad contradictoria potentem; adeoque non est *mere concomitans* et consequens, sed *antecedens*: ac proinde libertatem impedit et excusat a peccato saltem formali ac proprie denominato; pro quo valet regula ab AUG. L. 3. de lib. arb. c. 18. n. 50. data: *Hoc brevissimum tene; quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: quis enim peccat in eo quod nullo modo cavere potest?*

R. 2^o. *N. m.* Quoad 1^{um}. *memb. R.* Obdurati volentes quidem non agunt pœnitentiam, non tamen eam non agunt, quia nolunt, sed quia non possunt pœnitere; cum omittere pœnitentiam ex libera voluntate supponat posse pœnitere, quod deficit in *obduratis gratia destitutis*: neque ignorantia impotentiae aut falsa existimatio potentiae facit adesse potentiam, aut tollit impossibilitatem; unde ex eadem nihil inferri potest pro libera omissione pœnitentiae impossibilis.

Quoad 2^{um}. *memb. R.* Patet ex dictis, illam ex parte voluntatis impotentiam reipsa esse *antecedentem*, tollereque veram libertatem ad merendum et demerendum requisitam; quod confirmatur ex prop. 1^a. ab ALEX. VIII. damnata.

Neque huic responsioni obstat auctoritas PATRUM; quippe qui nec in designatis locis asserunt *omnimodam impotentiam* ex peccatis vel originali vel actuali provenire. AUG. *primo* loco duntaxat loquitur vel de gratia *habituali* vel de gratia *actionis* seu *proxime sufficiente*, quam non regeneratis ob originale primum negatam, regeneratis ob actuale peccatum subtractam ait. *Secundo* et *tertio* loco cæcitatem et resistendi impotentiam pœnam quidem peccati dicit; sed cum eadem simul ibidem asserat esse peccata, scilicet

proprie et formaliter talia, hoc ipso nec cæcitatem consummatam, nec impossibilitatem proprii nominis, sed difficultatem intelligit. PROSPERI textus sicut cum loco *primo* AUG. congruit, sic eadem responsione explicatur, præsertim cum c. 15. ad object. Vincent. dicat: *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.*

ARTICULUS V.

AN INFIDELIBUS DETUR GRATIA SUFFICIENS AD FIDEM ET JUSTIFICATIONEM?

355. *Nota.* *Negative* infideles sunt, qui Evangelii prædicationem nec audierunt, nec audire recusarunt; *positive* infideles, qui Evangelium vel audire recusarunt, vel auditum contempserunt. Gratia ad fidem sufficiens, sicut reliquæ omnes proprie tales, stat in *illustratione* cœlitus infusa et pio *voluntatis motu* divinitus impresso; plerumque tamen conjungitur cum exteriore aliqua et sensibili. Res hæc externa cum gratia *proxime* ad fidem sufficiente conjuncta, est *prædicatio Evangelii*; ut ex verbis ad Rom. 10. v. 14. colligitur: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* conjuncta autem cum *remote* sufficiente est *rerum creaturarum testimonium*, quo in cognitionem et amorem Dei, aut observantiam legis naturalis homo incitatur; ut rursus ex ead. ep. 1. v. 20. eruitur: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles.*

Positive infidelibus pro loco et tempore dari gratiam sufficientem facile conficitur; quia his vel prædicatur Evangelium, vel hujus prædicatio offertur: *Prædicatum est autem*, ut S. AUG. de civit. Dei L. 18. c. 50. ait, *toto orbe Evangelium, contestante Deo non solum signis, et ostentis, et variis virtutibus, sed et Spiritus sancti muneribus*, id est, gratia inferiori; ergo. Itaque infideles *negative* tales quæstio præcipue tangit; quam tamen cum *Jansenius* L. 3. de gr. Christ. c. 11. universim neget, et gratiam remote sufficientem asserat ex officina *Semipelagianorum* conquisitam; universim quoque nobis loquendum erit.

356. *Dico.* Infidelibus omnibus pro tempore ac loco datur a Deo gratia saltem *remote* sufficiens ad fidem et postmodum justificationem obtinendam.

Prob. AUCTORITATE. I. SCRIPTURÆ. Gratia fidei comparatur cum luce et calore juxta illud Joann. 1. de Christo enuntiatum: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; et Ps. 18. v. 7. *Nec est, qui se abscondat a calore ejus.* Sed tum his Scripturæ verbis apertis, tum Patrum interpretationibus declaratur hanc lucem et calorem dari vel offerri omnibus, nullo excepto: 1^{um}. enim constat ex illis: *omnem hominem et non est, qui*, etc. 2^{um}. autem habetur ex CHRYS. qui hom. 7. in Joann. (al. 8. n. 1.) inquit: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quoniam pacto tot homines sine lumine permanent?... Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt; sed malitia sua; et ex CYRILL.*

ALEX. in Joann. L. 1. c. 9., S. AUG. cit. supra, n. 351., EUTHYM. in Joann. c. 1. v. 9. aliisque.

Conf. Ex 1. ad Tim. 4. v. 10. *Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium; in quem locum THEOPHYL. ait: Omnes quidem vult salvos fieri, majorem tamen diligentiam erga fideles ostendit.* Et S. PROSPER. de vocat. omn. Gent. L. 2. c. 31. ita scribit: *Dicendo enim, qui est salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem; adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ, merito fidei divinitus inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur; ergo.*

II. PATRUM. CLEM. Alex. in orat. ad Gentes ait (opp. p. 56. E. edit. Paris. 1629.): *Audite, qui estis longe; audite, qui prope: nullis celatum est verbum: lux est communis, omnibus elucescit hominibus.* AMBR. in Ps. 118. serm. 8. n. 37. ita loquitur: *Mysticus sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit.... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat.* AUG. L. 2. de serm. Dom. in monte c. 3. n. 14. ait: *Deus semper paratus est dare suam lucem nobis, non visibilem, sed intelligibilem et spirituales;* et c. 9. n. 32. *Nulla anima est, quamvis perversa, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus.* Denique auctor de vocat. omn. Gent. L. 2. c. 5. 19. 23. 28. etc. ostendit, quod quamvis adeo copiosa et illustris gratia, qualis nunc datur, non fuerit data semper et apud omnes gentes, tamen non defuerit sufficiens ad consequendam salutem et subtrahendam perituris excusationem.

III. PONTIFICUM. Nam ALEX. VIII. damnavit hanc quintam ordine propositionem: *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente.* CLEMENS XI. autem proscripsit propositiones Quesnelli 26.: *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem; 27.: Fides est prima gratia et fons omnium aliarum; 29.: Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

Prob. RATIONE. I. Gentiles, qui ex S. Pauli verbis ad Rom. dicuntur per testimonium creaturarum cognovisse Deum, juxta ejusdem etiam verba sunt *inexcusabiles; quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt: ergo infideles etiam negative tales potuerunt et possunt Deum glorificare per bonos pietatis actus; quia alioquin forent excusabiles omittendo id, quod facere non possunt. Sed nisi cognitioni Dei per creaturas acquisitæ accedat interior gratia; non potest ab homine, quantumvis Deum etiam per prædicationem Evangelii externam cognoscente, actus pietatis bonus elici; ergo debet ipsi gratia interior etiam asseri.*

II. Fides in Deum *salutaris* est pro omnibus omnino adultis medium absolute necessarium; ergo non minus debet esse possibile hoc medium omnibus adultis, ac mandata Dei sunt possible. Sed fides in Deum *salutaris* non est proxime possibilis sine gratia proxime sufficiente, nec remote possibilis sine vera gratia remote sufficiente; cum ex dictis axioma illud, *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam*, intelligendum sit de faciente per vires gratiæ; ergo.

III. In hominis *libertate* est non minus credere quam non credere, non

minus Deo, quam diabolo parare locum; ut patet tum ex sententia Patrum, inter quos S. CYPR. L. 3. ad Quir. ait, *credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam esse; et S. AUG. in Ps. 148. n. 2. dicit: In tuo autem arbitrio Deus esse voluit, cui pares locum, Deo, an diabolo; tum ex eo quod quilibet homo viator debeat habere libertatem non tantum demerendi, sed et merendi: sed libertas hæc seu potestas credendi, locum Deo parandi ac merendi, nequit esse absque gratia seu proxime seu remote sufficiente; ergo.*

Conf. Ex voluntate Dei salvandi omnes et morte Christi pro salute omnium; quia ex utroque principio manifeste sequitur, in homines omnes, etiam infideles, derivari aliquid gratiæ interioris auxilium; utpote sine quo nequidem remote perveniri potest, tum ad agnitionem veritatis salutarem, tum ad salutem.

357. *Obj. I. Actor. 14. dicitur Deus, in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas; et c. 16. Apostoli vetantur a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia; ergo ante Christi adventum omnes gentes, et post adventum aliquæ carebant gratia sufficiente.*

R. *Ad arg. N. Cons.* Quia committitur *sophisma*, quod Dialectici vocant a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Et quidem per primum textum ostenditur tantum, non adeo abundantem gratiam Gentibus concessam, ac fuit data Judæis et Christianis; non vero plane negatam esse gratiam omnem. Id explicat S. PROSP. L. 2. de voc. omn. Gent. c. 4. ita scribens: *Ne in præteritis quidem sæculis hæc eadem gratia (quæ post D. N. J. C. resurrectionem ubique diffusa est, et de qua scriptum est: Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terre) defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet electum, omnesque aliæ nationes suas vias ingredi, hoc est, secundum propriam permissæ sint vivere voluntatem; non ita tamen se æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum nullis significationibus admoneret.... qui quidem in comparatione electorum (id est, Judæorum) videntur abjecti; sed nunquam sunt a manifestis occultisque beneficiis abdicati.*

Idem multo magis dicendum est de textu secundo, nempe Asianos interea non caruisse sufficientibus ad fidem auxiliis, dum non statim in Asia prædicatum est Evangelium, volente ita Spiritu sancto, ut Apostoli prius irent in Macedoniam; quandoquidem postea in Asiam illata fuit Evangelii prædicatione.

Inst. 1. Extra Ecclesiam non habetur vita, vera virtus aut ullus bonus; ut patet ex ep. Concilii Carthag. ad Donatistas (inter Augustinianas, 141. n. 4.) Quisquis ab hac Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter vivere se existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus sit, non habebit vitam; ex monito a Patribus Concilii Basileensis legati Eugenii dato, ne ab universali Ecclesia se scindat, extra quam nulla est vera virtus; ex ep. AUG. ep. 209. (al. 208. n. 6.) ad Feliciam: Ab ea (Ecclesia) separati, quamdiu contra illam sentiunt, boni esse non possunt; quia etsi aliquos eorum bonos videtur ostendere quasi laudabilis conversatio, malos eos facit ipsa divisio; ergo.

R. 1°. N. *Cons.* Quia rursus, a determinata gratia negata transitur ad negandam gratiam omnem.

R. 2°. D. *Cons.* Extra Ecclesiam non datur gratia actualis et auxilium excitans N. gratia habitualis, sanctificans, et justificatio ac salus, *subd. quam-*

diu quis contra Ecclesie unitatem sentit, seu obstinate est schismaticus C. si reconciliari studeat Ecclesie N. Recte dicitur schismaticus nullam habere vitam gratiae sanctificantis, nullam virtutem veram, nempe salutiferam, nullam denique bonitatem seu justitiam; sicut nec ea peccatori respiscere nolenti tribui nequeunt: non tamen ideo dici etiam potest privari omni gratiae auxilio.

Inst. 2. Fidelibus duntaxat datur gratia, non autem paganis et reliquis hominibus omnibus; quod patet 1. ex Aug. serm. 4. de verb. Apost. (al. 133.) Paganis, qui non habent gratiam Dei per Jesum Christum. 2. Ex ejusdem serm. 11. ibid. c. 4. (al. 26. n. 4.) Communis est omnibus natura, non gratia. 3. Ex Fulg. L. 1. de verit. praedest. c. 20. Non ergo putemus gratiam Dei omnibus hominibus dari; non enim omnium est fides. Idem habent Episcopi Africani exules in sua Synodica (inter ep. S. Fulgent. 15. n. 10.); ergo.

R. D. A. Fidelibus duntaxat, non autem paganis vel hominibus omnibus, datur gratia habitualis seu sanctificans C. gratia actualis subd. proxime sufficiens, aut quae includit ipsam cognitionem et fidem Christi C. remote sufficiens, aut quae inducit ad cognoscendum et colendum praecise Deum N. Omnis quidem gratia, quae hominibus datur, sicut meritis Christi est comparata, sic etiam gratia Christi et per Christum data dici potest; juxta phrasin tamen S. Aug. gratia Christi proprie dicta et per Christum data vocatur illa, quae cognitionem illius ac fidem involvit, ut diserte indicat, dum L. de gr. et lib. arb. c. 13. n. 25. ait: Gratia vero per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides; non enim omnium est fides; et hinc illam solet compellere gratiam, qua Christiani sumus.

Ad hunc modum etiam S. PROSPER gratiam fidei vocat gratiam Salvatoris, ubi L. 2. de voc. omn. Gent. c. 17. dicit: Sunt aliquae nationes quibus nondum gratia Salvatoris illuxit; gratiam autem infidelibus communem appellat gratiam Dei, ibid. c. 31. ita loquens: In cunctis retro seculis gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse etc. Atque in hoc sensu textus primus accipiendus est, nempe paganos non habere gratiam Christi, seu cognitionem et fidem Mediatoris includentem, quamvis illis non desit gratia Dei, seu cognitionem supremi entis ac causae primae involvens. Textus secundus negat omnibus communem esse gratiam justificantem, quia subjungitur: qua facti sumus populus ejus et oves pascuae ejus per Jesum Christum Dominum nostrum. Textus tertius de eadem gratia loquitur, ut rursus ex subjunctis constat: Et quidam charitatem Dei non recipiunt, ut salvi fiant. Eandem demum significationem sententiae Synodicae ostendit contextus.

Inst. 3. Gratia, de qua hic disputamus, est interior illuminatio et inspiratio: sed gratia illa generalis ab auctore librorum de vocatione gentium asserta, non est interior ejusmodi gratia; tum quia dicitur solum stare in dispositione elementorum mundi: tum quia asseritur data aliquibus tantum ad remedium, reliquis ad testimonium: tum quia idem auctor L. 2. c. 3. diserte asserit gratiam internam non esse communem; ergo.

R. Ad arg. N. min. Non externam solum doctrinam, sed et internam mentis illustrationem et pium voluntatis motum intelligi per gratiam illam generalem S. PROSPER satis expressit, dum in textibus allatis eam descripsit talem, quae hominum corda pulset, quae quibusdam sufficiat ad remedium, quae homines ad quaerendum verum Deum adjuvare possit, quae faciat, ut neque

ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari. Praeterea c. 4. facit comparationem inter elementorum doctrinam et instructionem per legem et prophetas. In praeteritis enim semper admonuit divina bonitas homines sui cultus per elementa, sicut populum Israel peculiariter per legem et Prophetas; posteaque addit mundum ita deservisse, ut in paginis elementorum ac voluminibus temporum communis ac publica divinae institutionis doctrina legeretur: igitur de his ipsis vocibus ac paginis intelligi voluit, quod in ep. ad Demetr. c. 15. (opp. S. Leon. t. 2. p. 275. edit. Ballerin.) scripserat his verbis: Voces docentium et litterae paginarum, quae ad eruditionem audientium vel legentium Deo serviunt, non carent ejus virtute, cui serviunt; nempe interiore gratia, quae vim faciendi tribuat.

Ad prob. 1^{am}. D. Haec gratia quoad partem externam spectata dicitur, saltem plerumque, solum stare in dispositione elementorum mundi C. quoad se totam aut omnes partes spectata N. Sicut gratia proxime sufficiens seu fidei dicitur plerumque stare in praedicatione Evangelii, quin tamen eam sejungere liceat ab interiore auxilio: sic quod gratia illa communis et remote sufficiens dicatur sita in testimonio creaturarum, non potest facere, ut debeat intelligi destituta a comitatu interioris auxilii.

Ad prob. 2^{am}. D. Gratia haec aliquibus tantum sufficit ad remedium, reliquis ad testimonium ex defectu virium in ipsa gratia N. ex defectu voluntatis et cooperationis humanae C.

Ad 3^{am}. prob. N. Ass. Textus allatus vel potius contrarium probat, vel de gratia illa generali non loquitur.

Inst. 4. Gratiam esse communem et omnibus hominibus dari, cujus beneficio liceret ad fidem accedere, est error Semipelagianus, quem exponit S. PROSPER in ep. ad Aug. (inter Augustin. 225.); ergo.

R. D. A. Est error Semipelagianorum, gratiam dicere omnibus communem, quatenus illi statuebant Deum indiscrete, seu indifferenter ac aequaliter velle omnium hominum salutem, h. e. non magis particulari affectu salutem praedestinatorum, quam reproborum; item quatenus volebant gratiae ex hac indiscreta voluntate oblatae praecedere naturalem hominis libertatem et obedientiam, ut ita possint salvari et salventur homines omnes, qui vel si velint, voluntate scilicet nuda et naturae viribus C. quatenus praecise statuebant omnium hominum salutem a Deo intendi et gratiam sufficientem cuilibet ad illam dari N.

Inst. 5. Generalis illa gratia statuitur maxime ex eo capite: quia si nulla penitus daretur infidelibus gratia sufficiens, possent illi excusari a culpa, utpote qui vel necessitate quadam compellerentur ad peccandum ex defectu gratiae, qua possent non peccare; vel qui absolute non possent sine gratia elicere actus supernaturales, praesertim fidei necessitate medii requisitae: sed imprimis hoc repugnat doctrinae S. AUGUSTINI, qui in ep. 105. ad Sixt. (al. 194. n. 27.) ait: Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis vel additamento etiam propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat: quia et ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem, qui non potuerunt, poena peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio. Deinde neutra ratio subsistit: non prima; quia homo etiam sine gratia